

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2329

Autre(s) référence(s) : Round 484

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Troarn, Saint-Martin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1190, 19 juin

Lieu d'émission : Chinon

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard Cœur de Lion ratifie l'accord intervenu entre l'abbaye et Jean, comte d'Alençon, au sujet de Robehomme.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° XVI, p. 388-389.

Texte établi d'après a

Ricardus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum, Aquitanorum, comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus suis totius terre sue, salutem. Sciatis nos concessisse et presenti carta nostra confirmasse abbatie Sancti Martini Troarni et monachis ibidem Deo servientibus villam et insulam que dicitur Reimberhomme, cum omni jure suo et cum omnibus pertinentiis suis, et jus presentationis ecclesie Sancte Marie de Raimberhomme, que omnia Johannes, filius Willelmi, comitis Pontivii, dedit predictae abbatie in perpetuam elemosinam, assensu nostro et assensu et voluntate Johannis et Roberti et Willelmi, filiorum suorum. Propter quam donationem Durandus, tunc temporis abbas, et monachi Troarnii dederunt predicto Johanni et filiis suis mille et ducentas libras andegavensium. Sic autem donatio ista facta est a predicto Johanne et filiis suis quod ipsi vel heredes eorum nichil juris vel donationis possint de cetero in omnibus predictis vindicare. Quare volumus et firmiter precipimus quod predicta abbatia et monachi ejusdem abbatie habeant et teneant omnia predicta bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in bosco et plano, in pratis et pasturis et pascuis, in vivariis et stagnis, in aquis et molendinis, in piscariis et rosariis et mariscis, in viis et semitis et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad predicta pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis et cum omni integritate sua. Testibus Willelmo de Humeto, constabulario, Ricardo de Humeto, Willelmo filio Radulphi, senescallo Normannie, Roberto de Harenc, Willelmo de Sancte Marie Ecclesia, decano Moretonii, Ricardo Britone, magistro Rogero Malchael, Willelmo de Caliz, Willelmo de Ouvilla. Datum per manum Johannis de Alencone, Lexoviensis archidiaconi, vicecancellarii nostri, XIX die junii, apud Chinonem, anno primo regni nostri.